



Prosæ Tomus ...

Conti, Giovanni Battista

Rom, 1704

Ad Lectorem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69458](#)

AD LECTOREM.⁵



Liquot ab hinc annis multiplicem poesim edideram, nec sanè, quoad tempus, & siciora studia sinebant, cultura, limaque incastigata. Exinde venit in mentem, ut nonnulla etiam solutæ orationis nunc cederem, si tamen pluribus hac, illac pagellis vaga, literulisque suis jam mucidis, & pænè obliteratis aciem oculorum fatigantia, vel fugientia valorem denique sub calami judicium revocare. Revocavi utcumque; at in theologicis lectionibus tradendis, ac disputationibus agitandis sexennium jam versans, super vetustas illas, & obsoletas, & senio propemodum confectas junioris ætatis, ac studii mei commentationes hu-

maniores non eam adhibere potui
censorii judicii sedulitatem, ac se-
veritatem, qua opus fuisse perspe-
xeram, nt non adeo incomptæ, non
adeo impolitæ prodirent. Et vero
multa in ipsis deprehendebam, qua
rudis, indigenæque molis ad instar
non expolienda modo, sed incudi
denuò reddenda, & omnino recu-
dendavidebantur. Atque ad id æ-
rumnosi laboris nec animus certè
defuit, nec stylus fortassè qualis
qualis defuisset, si animo, styloque
sat opportunitatis, & otii præbuis-
sent scholasticæ occupationes, & cō-
certationes. Sed enim tanta, tamq;
genialis est mitioris literaturæ ju-
cunditas, ut cum pugnaci sapien-
tia, & cum clamoris ejusdem oppu-
gnationibus, ac propugnationibus
bene convenire ei non possit. Incon-
dita illic nimirum, & inconcinna
strepit circumquaque barbaries, à
qua longissimè abstant, & abhor-
rent

rent delicatores Rhetorum sensus,
 ad molissimum beatioris eloquii
 numerum enutriti , atque eruditi .
 Verùm unus , vel alter authorita-
 tis apud me alioquin non modicæ
 author mibi non semel fuit , meas
 ut scriptiones quantumvis ad reco-
 gnitionis trutinam non penitus ex-
 quisitas , probatasque publicis ty-
 pis nihilosecius committerem ; il-
 lud mihi identidem asseverans , usu
 venire videlicet , ut meditabundi
 plus æquo Scriptores , & in singu-
 lis verbis cunctabundi , & nullum
 sui excutiendi , calumniandi que fi-
 nem facientes , nimia (quod ajunt)
 religione attenuant partus suos ; ac
 sinceram in illis sanguinem , atque
 vividum , atque animosum sapientius-
 culè deperdant , dum semper ne vi-
 tiosum colligant , reformidant . In
 bujuscè normam consilii ire visum
 est : proinde veniam mibi Lector
 non abnues ; quandoquidem ista ,

quæ legis, emisi non quia minus
quam par erat, aut publicæ lucis
theatrum, aut tuæ subtilitatis
tribunal sim veritus, sed quia con-
suum ita suadentis reveritus:

Quo circa reprehendi quasi incon-
sultè à me factum non poterit, et si
fortè non mihi feliciter cadet, quod
fecerim. Felicibus parùm, aut in-
felicibus prorsus rerum eventis esse
plerumque levamento solet illud ex
Philosophi cortina proverbium:
plurimum ibi intelligentiæ, ubi
minimum est fortunæ. Inde porro
ipse levamentum deducam, non
tanquam præcipua, primæque in-
telligentiæ mihi gloriam assumens,
sed gloriola dumtaxat contentus
intelligentiæ illius postremæ, cu-
jusmodi censembitur esse alienæ in-
telligentiæ acquieuisse consilio. Hęc
mibi laus, si nostro hoc libella dis-
pliceam, solatum esto; hęc eadem
mibi præmium esto, si placeam.

PRO-

H
ex
bi
pl
na
ri
ru
bu
du
cl
m
to
de
tu
&